Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26460
Copyright: Admont, Benediktinerstift



IN NAT. PLURIMORUM M. SERMO LEONIS PP.

QUIA ANNUA FESTA A SCTORUM martyrum recolimus dignum et congruum est fratres ut gaudia nostra cum sanctis martyribus conferamus. Et his dominice resurrectionis gloriam annuntiemus qui consortes sunt dominice passionis. Qui enim socii sunt contumelie debent et participes esse glorie. Ita enim dicit beatus paulus apostolus. Si socii passionum estis et resurrectionis eritis. Si tolerabimus inquit. Et conregnabimus. Qui enim tolerauerunt mala propter xpm debent habere gloriam cum xpo. Annuntiemus inquam sanctis martyribus dominice resurrectionis gloriam ut dum sepulture illius predicamus reserata claustra. Et hoc sepulchra reserentur cum corpus illius mortuum dicimus tepentibus uenis subito uiguisse. horum quoque membra iam frigida immortalitatis calore foueantur. Eadem enim ratio martyres suscitat que et dominum suscitauit. nam sicut uiam passionis experti sunt. ita experientur uite. Scriptum est enim in psalmo. Notas mihi fecisti uias uite.